


Sammelbd. #

12

+







Series
Tractatuum et Dissertationum
quas^o continet.

Vol. I mum

Faint, illegible handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

1
2/
3)
4/
5)
6/
7)
8/
9)
10)



Series
Tractationum et Dissertationum
hujus Voluminis.

- 1) De Juris prudentia Apostoli Pauli auctor.
Joh: Sam: Strijk.
- 2) Observationes forenses ^{variis argumentis praef.}
Joh: Gottlieb Siegel. Respondentes Auctores Casp:
Ernest Haenigke Lipsiae habitus.
- 3) Thasverg Fritsch. de Inarione Misilium
- 4) De Sociorum obligatione quae oritur ex conventionibus
cum extraneis unita. Praef: Wolfgang Adam
Lauterbach. Resp: Joh: Henr: Boehm.
- 5) De Jure Utendi Plenterationis vel simili remedio
suspensio si adpellationi renunciatum est.
Praef: Christ: Henr: Eckard. Respond: Joh: Carol: Schae:
ferne habitus.
- 6) De ~~quibus~~ singularibus quibusdam Germanorum circa
personas et res curibus in jure romano aut
patrio aut plane non tractatis. Praefid:
Henr: Ern: Kestner. Resp: Christ: Cont: Popp. Rinken:
habitus.
- 7) De Privilegio Competentiae Praef: Christoph: Wetther: Mühlgr:
Resp: Christ: Gottf: von Lüttich.
- 8) De Scripturae necessitate Praefid: Abrah: Kestner Resp:
Hans: C: Steph: de Bismarck.
- 9) De cautione de non turbando habitus a Georg: Hieron:
Koch: Erfordiae.
- 10) De S:to Macedoniano a Andr: Barthold: Holzborn:
Erfordiae habitus

- ii) De Affignationibz, Henr: Corceji. Tr:
- 12) De eo quod pendet, seu quod est in suspensio Comment: Jurid:
Christ: Wildvozeli.
- 13) Von ius actionis forensis contra edificantem ex demulatu
Ps: Christ: Thoms: N: Wilhelm Wunder. Thalee habita
- 14) de Receptu rerum miserabilium, ad non fluit gultm aude
Opph: Kaaxengieseri.
- 15) s'am: Fridr: Willenbergi tract: de Pactis antenuptialibz, Pon
duy prop dno pto gultm pto pto
- 16) de clandestinis sponsalibz quidatis Praef: Wilh: Hier: Braun
Ref: Joh: Ernst: Schellhas:
- 17) de vera sponsalium de praesenti et ulphiarum
differentia Praef: Joh: Beck: Friebe Resp: Joh: Regeroch:
- 18) Kurtzab edundz ubat dix Juristz pto ob unu
disponere pto unu fin unu pto unu aut unu pto
unus unu pto, für soloz pto pto pto pto pto
unz. pto unu pto pto Henr: Kluber.
- 19) De Subpilulionis directae argumentis in formula dubia
Praef: Joh: Tob: Currach. Resp: Fridr: de Freyberg Thalee
habita.
- 20) De Transmissione hereditatis ex Lun Cod. de his qui
ante apert: Fabul. p. Ps: Georg Schubart. Resp: Steph:
Alexand: Reuerf: Jenae habita
- 21) de Tutela occupatoria Praef: Joh: Just: Schierfch
Resp: ~~Kyber~~ Joh: Christoph: Kybetus.
- 22) de Tutela dativa non obs: pto unu pto Praef: Christ:
Wildvozel. Resp: Henr: Götlob Kuhn. Jenae habita
- 23) de eo qd justum est circa umbam. Praef:
Joh: Henr: Meyer. Respond: Joh: Wilh: Ertling.
Lipordiae habita.

27
28
29
30
31



24) De rebus et locis ecclesiarum amharum. Praef. Joh: Henr: Schaeffer. Resp: Joh: Mich: Schaeffer. Erfordia
 habita
 25) De Umbra, von Rantzau. Praef. Adrian Baier
 Resp: Henr: Gunther. Bothen. Genae habita
 26) De eo quod iustum est circa novum annum
 von Rantzau. Praef. Christ: Wild
 Resp: Joh: Andr: Crueset. Genae habita
 27) De malis illicitis s: contubandis. Praef. Werner
 Theodor Martini. Resp: Cass: Henr: Horn. Witebr. habita
 28) Christi Thomis quaest. Promissionum historico
 philosophico iudicium decas.
 29) Collocationes juris Civ: Romani cum Recensibus
 Rom: Germ: in facie cum ordin: Crem: Civ: P:
 Praef: ~~Michael~~ Michael Grast. Resp: Jac: Guilelmo:
 Hoetmann de Guben. Lubin. habita
 30) De Fortuna Festum von Rantzau. Praef. Ernst Jman: Gertel. Resp: Joh: Fridr: Werner
 Praef. Joh: Berth: Freese. Resp: Joh: Jac: Freistat
 31) De Poena gladii post suspendium, deserv: furid. Joh:
 Philipp: Freiberi. Erfordia habita

d.
 emulatore
 iudic
 von
 ruzp
 och:
 dubia
 alae
 qui
 h:
 schind
 Thost
 da

[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



25.

AVSPICIO ALTISSIMI
DE EO QVOD IVSTVM EST
CIRCA

NOVVVM ANNVM

Dom

Rechte des Neuen Jahres/

DISSERTATIO IVRIDICA

27

QVAM

IN ILLVSTRI ACADEMIA JENENSI

PRAESIDE

Dn. CHRISTIANO WILDVOGEL

JCTO, SERENISSIMORUM FRATRVM DVCVM SAXO-
VINARIENSIVM CONSILIARIO AULICO, PANDECTARVM PROFES-
SORE PUBLICO ORDINARIO, CVRIÆ PROVINCIALIS, NECNON
IURIDICÆ FACULTATIS ET SCABI-
NATVS ASSESSORE

SVB AVSPICIIVM ANNI

M. DC. XCI.

Publicè defendendam proponit

Auctor & Respondens

JOH. ANDREAS CRAUSER.

Literis SAMUELIS ADOLPHI MÜLLERI.



IOHANNIS

DISSERTATIO IURIDICA

IN ILLUSTRI ACADEMIA JENENSIS

PARS II

D. N. CHRISTIANO WILHELMO

ACTO, SERENISSIMORUM ERATRV DUCVM SAXO-
VIRIENSIVM CONSILIO ABACO, PANDICTARVM PRORES-
SORE PVBICO ORDINARIO, CVM PONTIFICATVS REGNO
IURIDICÆ FACULTATIS ET SCAR-
PATAE ABBATIS

IN ACADEMIA JENENSIS

M. DC. LXXI


Publice defendenda proponit

A. G. R. J. R. J. R.

IOH. ANDREAS GRASSER

Magistri





J. N. J.

PRÆLOQVIVM.



*Temporis consideratione ipsam
dependere aeterni Numinis cogniti-
onem, nemo forsitan erit qui negare ausit:
Dum enim temporis vicissitudines varias,
dum multiplices annorum cursus & recur-
sus expendimus, non possumus non simul
concipere Motorem quendam ac Gubernatorem perpetuum,
qui revolutiones hasce seculi moderatur quidem & dirigit,
ipse verò immutabilis existit, nullique obnoxius est corruptioni.
Sic igitur quoties diem auspicamur, quoties septimanam in-
gredimur, quoties mensem ordimur, quoties denique annum
inchoamus, mentem nostram subire potest, imò debet, hebdo-
madis, mensis, annique auctor aeternus, qui temporum hac
mutatione perpetuâ, immutabilem & perpetuam suam nobis
manifestat potentiam, sicque ad gloriam nos excitat & obse-
quium sibi perpetuò exhibendum. Et hoc quidem omnes qui à
Christo nomen habent, meritò observant: Verum & aliò
eosdem vocat Temporis consideratio. Hos namque, qui in ci-
vili degunt vita, ex temporum successione meminisse decet ejus,
quod à prudentibus Legum conditoribus circa quodlibet tempo-
ris*

A

ris

*ris momentum in subditorum utilitatem constitutum est salu-
 briter. Nec enim omnipromiscuè tempori omnia jura conve-
 niunt, sed pro diversa anni parte diversa quoque statuta sunt
 jura, quæ nosse expedit eis, qui ad Jurisprudentiam animum
 appulerunt. Hac igitur reputans mecum, atque ineunte jam
 iterum Novo Anno perpendens, divino imprimis Numini ore
 cordeque devoto grates persolvo debitas, quod sapientissimo
 instituto tempora & annos constituerit, quod horum metien-
 dorum scientiam mortalibus fuerit largitus, quod in hoc ipso
 agnitionem sui haud obscure nobis præbuerit, quod denique,
 ut veteris anni spatia incolumes emensi simus, fecerit, va-
 riis undique obsessos periculis clementissimè servaverit, atque
 novum nunc feliciter auspiciari jusserit annum: Sed & eò respi-
 ciendum putavi, quid in politicâ societate viventi sit observan-
 dum, & quid agendum illi, qui legibus satisfacere in-
 tendit. Hinc operæ me pretium facturum censui, si quod
 secundum Ordinationes tam recentiores quam antiquas
circa Anni novi exordium Justum
 habetur, in unum colligam fasciculum, atque sub Anni novi
 auspiciis exercitii academici loco proponam publicè. Quod
 dum facio, æternum & immutabile Numen supplicibus implo-
 ro precibus, ut Novi, in cujus limine stans, Anni felix initium,
 feliciorum progressum, felicissimumque exitum non solum con-
 cedere, sed & cogitationes, operas & negotia nostra eò diri-
 gere velit, quò nominis divini honor, proximi commodum,
 ac Reip. inde uberrimè emergat emolumentum.*

*Hæc ita præfatus, rem ipsam aggredior,
 sitque*

CAPUT I.

CAPVT I.

DE

NOVI ANNI EXORDIO.

§. I.

VTi Era temporum & Epochæ diversis gentibus diversa, ita quoque non omnibus idem inchoandi Anni fuit atq; hodiernum est punctum ac terminus. Quidam enim à vere quidam ab Æstate, nonnulli ab Autumno, nec pauci ab Hyeme illū ordiuntur & numerandi ponunt initiū. Ægyptii lanè, etsi à meridie primi diei mensis Thoht annū auspicentur, istamen, cum neque Æquinoctio neque Solstitio certo affixus sit, per omnes anni nostri menses vagatur, nec stabilem, in qua requiescat, agnoscit sedem. Idem de Tartaris, Turcis, Arabibus aliisque nationibus affirmat D. Erhard. Weigel, in tractatu quem inscribit *Zeitspiegel part. I. cap. 6.* ex eo, quod lunaribus tantum illi utantur mensibus in computatione temporum. Ita enim ait: Die alten Gallier und Sachsen sollen die Jahre nach dem Mond gezehlet haben / welches auch noch thun die Tartarn / Türcken / Araber / Sinesen / Japanier / Peruaner und Chinesen / und mit dem Anfange solcher ihrer gemeinen Mond. Jahre nach einander rückwärts durch alle Wetter. Zeichen durch zuwandern / und bald im Winter / bald im Herbst / bald im Sommer / bald im Frühling des Jahres. Anfang zu begeben sich nicht verdriesen lassen.

§. II. Aliæ gentes certum Anni ad hoc sibi elegerunt quæ constantem terminum. Et Græcos quidem primo
A. 2 post

post Solstitium æstivum mense novum incepisse annum, colligitur ex Platonis *Dial. VI. d. Legib.* Romani vero ex ordinatione Romuli primitus Anni initium circa Æquinoctium vernali a mense Martio habuerunt: Postea ab Idibus Septembris eosdem annum auspiciatos fuisse, Bodino autumat, *lib. VI. de Republ. cap. 2.* cum secundum *lib. VII.* Lex fuerit vetusta, & prisca scripta literis, ut qui Prætor maximus est, Idibus Septembris clavum figat: quem clavum Festus annalem appellat, quia quotannus figebatur in dextra parte Capitolii, ut ex illis clavis numerus colligetur annorum; quamquam principium Anni Magistratum ineundi a principio Anni vulgaris diversum fuisse, atque Magistratus nonnunquam Kalendis Januariis, aliquando Idibus Martiis, nonnunquam etiam Majis annum suum inchoasse, probet Alberic. Gentilis *d. divers. temp. appellat. cap. III.* Tandem a Bruma seu solstitio hyberno ex constitutione Numæ annum exorsum sunt, qua de re Ovidii noti sunt versiculi:

Bruma anni prima est, veteribus novissima solis.

Principium capiunt Phœbus & Annus idem.

Add. Ale-

xand. ab *Alex. genial. dier. Lib. III. c. 24.* Idem, jam olim observarunt vetusti Gothi ethnici Scandiæ hodiernæ incolæ, quippe qui festum *Juli* eodem tempore, quo Christiani festum Nativitatis Christi, celebrarunt, obque id ipsum Mensem Decembrem *Guili-Hiule, mānat*, h. e. mensem tropicum vocarunt, quod in eo fieret conversio anni, unde & festum illud *Hiule-batiit*, seu festum conversionis anni appellarunt. vid. Georg. Stiernhielm. in *Anti Cluverio.*

§. III. Alia ratione procedunt Moscovitæ, qui a primo Septembris annum suum auspiciantur, Adam Olearius in *Itinerar. Persic. part. I. p. 32.* Quem morem antiquitus quoque sub Imperatoribus in Oriente viguisse ex Manuelis

Com-

Comneni Constat. II. colligit Gothofredus *in not. ibid. n. 2.* & hodiernum sequuntur Æthiopes seu Habessini, D. Iob. Ludolff. *Histor. Æthiop. lib. III. cap. 6. n. 97.* Veneti contra initium anni in medio posuere Martii, de quibus infra.

§. IV. Sed Hebræi duplex habent Anni principium, ecclesiasticum puta, quod in Novilunium æquinoctio verno proximum : & civile, quod in Novilunium autumnali æquinoctio vicinum incidit : atque sic in politicis negotiis annus Judæorum à mense Tisri, in ecclesiasticis verò à mense Nisan deducitur. vid. Origanus *Ephemer. part. I. cap. 2.* Georg. Marsman. *Miliolog. part. I. cap. 1. n. 24.* Diversum autem Anni politici terminum ab ecclesiastico ideò sanciverunt Judæi, quoniam si civilem simul cum ecclesiastico à Martio mense incepissent, duo sibi met succedissent anni, in quibus fruges metere non licuisset : primò namque reliquenda ipsis fuissent in agro, quæ mense præcedenti Septembri terræ mandassent semina, & deindè cum mense Septembri anni Sabbatici ferere non liceret, frumenta non habuissent, quæ mense Augusto sequentis anni ex agris potuissent colligere, quemadmodum ex Magrii *Contradiet. apparent. Script. Sacr.* notat Nitsch. *in Ephemer. Erudit. Tom. I. Ephem. 11. p. 96.*

§. V. Ratio vero, ob quam Judæi Anni ecclesiastici primordium in mense Nisan ponant, hæc dicitur esse, quod putent, circa illud tempus mundum à Deo fuisse conditum. Quæ quidè res multorum præstantissimorum virorum mirificè exercuit ingenia, dum alii Creationis mundi initium ad æstivum referunt solstitium, alii universi hujus natales æquinoctio verno alligare conantur, singuliq; suã opinionem rationibus non continendis fulcire laborant. Et prior quidem sententia quæ ab Ægyptiis, primis mathematicarum arti-

um inventoribus, originem trahere creditur, non solum
piam antiquitatem, sed & Virgilium applaudentem habet,
qui *Lib. II. Georgic.* ita canit :

Non alios primâ crescentis originè mundi

Illuxisse dies, aliumve habuisse tenorem

Crediderim : Ver illud erat, ver manus agebat

Orbis & hybernis parcebant flatibus Euri,

Cum primum lucem pecudes hausere, virumq;

Ferrea progenies duris caput extulit arvis.

In quem etiam sensum Ovidius *Lib. I. Fastor.*

Die age frigoribus quare novus incipit annus?

Qui melius per per incipiendus erat.

Quibus post alios plures à Jacob. Saliano *in Apparat.*
Annal. ecclesiast. cap. IV. commemoratos, accedit Me-
galander noster Mart. Lutherus, *Comment. in Genesin.* Li-
cet ipsemet probabilem tantum, non certam sententiam hac
de re ferri posse moneat.

§. VI. Aliis tamen verior videtur illorum opiniò,
qui in æquinoctium autumnale mundi conditi initium re-
jiciunt, idque non solum ob hanc rationem, quod arbores
statim fructiferae & fructus maturi extiterint, sed & quod
ex Scripturâ observare liceat, ante populi Israelitici edu-
ctionem ex Ægypto, mensem Tisri seu Octobrem anni fuis-
se initium, Exodi enim *cap. XXIII. v. 16.* septimus mensis
Adar, exitus seu finis anni vocatur, & *Exod. XII. v. 2.* Ini-
tium anni novâ lege in mense paschali constituitur, ex
quo consequi dicunt, quod ante hanc legem aliud omninò
fuerit Anni principium. Atq; hanc sententiam non solum
late deducit Bodin. *de Republ. Lib. IV. c. 2.* simulq; ex humanis
casibus & Rerumpubl. everfionibus atque mutationib9, quæ
ut plurimum circa autumnum initium habuerint, confirma-
re satagit : Sed & adeò propugnat Sethus Calvisius *Chronolog.*
cap. XXXIV. & ipsum diem creationis se invenisse putet, &
astronomicis rationib9 evidentissimè demonstrare conetur,
mun-

mundū vigesimo quinto die mensis Octobris, in Conjunctione Solis & Lunæ feria prima, sive die Solis, ineunte vespera fuisse productum. Vid. Joh. Micrælii *Syntagma Histor. mundi Lib. 1. Sect. 1. qv. 10.* Compendium *Histor. Ecclesiast. Gothanum. Lib. 1. cap. 1. Sect. 1. §. 3.* Michael Haveman. *in Amusio Sect. II. cap. 24.* Chassanæus *Catalog. Glor. Mundi Part. XII. Consid. 41.* Nobis quidem hæc quæstio supervacanea videtur, & principium mundi conditi ad certum quoddam Anni tempus adstringere velle absurdum putamus, ex eo, quod tempestas non sit per omnia mundi climata æqualis, sed pro locorum varietate & situ variet, ita ut quando sub polo arctico ver illucet, sub antarctico autumnus ingrediatur & vice versa, Add. Harsdorff. *in Mathematischer Erquickstund Contin. II. part. VI. qv. 3.* Quod si tamen quispiam vel de certa mundi regione, puta Judæâ, aut alio Orientis loco, vel etiam de positu astrorum, Solis præcipue in cælo, quæstionem intellectam velit, haud improbabilis videtur illorum sententia, qui Solem Creationis tempore Arietis signum occupasse & parem dierum per totum mundum quantitatem produxisse opinantur, id quod apodicticè nuper probare conatus fuit celeberrimus Daniæ Mathematicus Matth. Wasmuth, *in Prodromo operis Astrologici, sive Annalib. cæli & tempor. restit. qui prodiit Kilonii ann. 1684.* Confer. D. Pfeiffer. *in Lehrtempel.*

§. VII. Quicquid interim sit de primordiali mundi tempore, Christiani ad illud hodiè in exordiando anno non respiciunt, sed quemadmodum à Christo Domino & Salvatore suo nomen mutuati sunt, temporaque in perpetuam illius memoriam numerant (quæ quidem Epochâ à Dionysio Abbate Romano cognomento Exiguo, tempore Justiniani Imperatoris, sub annum Christi DXXV. inducta
vul

vulgò putatur Limn. *ad Capitul. Caroli V. verb. nach Christi Geburt n. 1. seq.*) Ita quoque à Nativitate Christi sive *ἐνανθρώπησι*, & Inhumanatione ejus, ut loqui amat Imperator in *L. V. §. fin. & L. VI. §. 2. C. de Summ. Trinit.* annum auspiciari fidei suæ quam maximè conveniens arbitrati sunt.

§. VIII. Nec tamen omnium populorum per Christianum urbem idem hac in parte est consensus. Quibusdam enim tempus Conceptionis Christi Anni initium ponere placuit, quem morem jam olim in Curia Pontificis Romani obtinuisse, decretum Nicolai Papæ indicat in *Can. 1. dist. 23.* & adhuc apud Venetos obtinere notat Limn. *ad Capitul. Caroli V. verb. Jahr. in fin.* ex Doglione *de. venet. trionfant, & sempr. libera. Tit. dell orig. & accresc. dell. cit.* cujus verba Italica latino idiomate ita vertimus. *Solitum est Venetis à medio Martii (cujus XXV. dies Maria Virgini propter Sanctam incarnationem Domini nostri Jesu Christi, Filii Dei dedicatus est) principium capere numerandi annos currentes quod alii assumunt vel à die ipsius natali, vel à primo die Januarii.* vid. Catellianus Cotta in *memorabil. verb. Annus.* Imo eandem consuetudinem etiamnum Romæ vigere diversamque esse computandi anni formam unam in festo Nativitatis Christi inchoantem, alteram in mense Martio propter Incarnationē Salvatoris, docet Dominicus Magrius in *Contradiet. apparent. Sacr. Script.* quem recenset Nitsch. *supr. cit. loc.* & clarius Pierre Hevin scribit, quod in Cancellaria magna Romana computatio annorum fiat, non à tempore Nativitatis, sed Incarnationis Christi, adeoque non à Januario incipiat, sed à die XXV. Martii, *Arests. du Parlement. de Bretagn. pag. 211. in Actis Erudit. de Anno MDCLXXXV. p. 64.* Magis tamen distinctè Joachim le Grand. in *Tract. L'histoire du divorce de Henryc VII. Roy d' Angleterr. & de Catha-*

De Eo Quod Iustum Est

9

Catbarine d' Arragon, tom. II. part. 2. notat Curiam Pontificis in Brevibus seu rescriptis Annum à Calendis Ianuarii, in Bullis verò & diplomatibus à Calendis Martiis computare solere, què vide in Act. Erudit. d. Ann. MDCLXXXIX. p. 32. Add. Joh. Anton. à S. Georgio, dictum Præpositum, in Comment. ad can. IV. dist. 18. n. 5. ubi notari iubet, quod Mensis Octobris apud Græcos appelletur decimus, quoniam illi incipiunt annum à Januario, apud Romanos verò censeatur octavus, quia incipiunt à Martio. Et hanc consuetudinem antiquam adhuc apud Trevirenses obtinere, illisq; XXV. Martii in publicis scripturis primum anni diem esse ex Broveri Lib. XIIX. Annal. Trevir. notat Carol. du Fresne Glossar. verb. Anno. Honthemi9 in Arte Notar. Lib. II. cap. 7. n. 19.

§. IX. Alii memoriam equidem Salvatoris incarnati pro termino inchoandi anni assumerunt, verum non Conceptionis nec Nativitatis, sed gloriosissimæ illius Resurrectionis, quæ celebratur in Festo Paschatos, huic assignarunt. Et hunc morem in Gallia quondam viguisse auctor est Pierre Mathieu. Liur. II. de l'histoire de Louys XI. n. 14. citatus Limneo. d. l. n. 1. nec non Robertus Quaternarius Congregationis S. Mauri Monachus Benedict. in Regal. Ecclesie S. Germani de Pratis jurib. propugnat. ubi peculiariter annotat, quod antiqui Historici, qui circa seculum XII. vixerunt, non à Kalendis Ianuarii, sed primo Paschatis die annum inchoarint, vid. Nitschi Journal. des scavans. Tom. IV. Ephem. 4. pag. 71. quod & observavit Ribier. Lettr. & memoir. d' état. cujus excerpta exhibet idem Nitsch Tom. II. Ephem. 13. p. 143. Quæ verò incommoda ex hac temporum computatione provenerint, sequentibus verbis ex Coquill. Histoire du pays & Duchè de Nivernois adducit Limneus, cit. loc. n. 5. In hac computatione initio anni sumto à Festo Pascha

B

scha

schatis, multa perplexitates contingere poterant in humanis negotiis. Poterat enim evenire, ut unus idemq; numero dies mensis duplicaretur uno in anno, verbi gratia, anno MDXXXV. Festi Paschatis dies erat 28. Martii: anno sequenti MDXXXVI. Paschatis terminus erat 16. April. Hoc itaque modo dies primus Aprilis duplicabatur in anno, & erat una vice post Festum Paschatis paulo post anni initium: altera autem ante Paschatis festum circa finem anni &c. Ob quam confusionem vitandam Reges Gallia demum hunc terminum Novi Anni correxerunt, publico edicto à Carolo IX. Anno MDLXII. promulgato, ut Annus imposterum à primo Januarii die inciperet & numeraretur, veluti legitur apud Limn. d. l. n. 3. add. Eund. Tom. I. Addit. ad Jus Publ. Lib. VI. c. 2. n. 15.

§. X. Receptus igitur fuit non in Galliâ solum, sed & in Italiâ & passim per totam Christianam Ecclesiam terminus hic inchoandi Novum Annum ab ipso tempore Nativitatis Christi, Covarruv. Lib. I. var. Resolut. cap. 12. n. 1. Vid. omnino Carol. du Fresne, in Glossar. verb. Anno pag. 204. Et æquissimum sanè erat, ipsis feriis natalitiis novum Annum auspiciari, sicuti Æræ Christianæ computatio ab his initium sumit; Sed quia eo die in conventibus Ecclesiæ de sublimi Incarnationis mysterio agunt & occupantur verbi divini ministri, hinc factum ut in mox sequentem primum Januarii diem, quo Romani olim cœperunt, initium Novi Anni ex libertate christiana rejiceretur, Walther Possill. Juridic. in Fest. Circumcis. add. Bartol. in l. 1. §. annum. ff. de itin. actusq; privat. §. in l. 15. ff. d. accus. Abbat. in cap. 13. de fid. instrum. Specul. tit. de instrum. edit. §. 2. Oldendorp. de Except. tit. de usuc. Andr. Schæffer. part. 3. qv. 1. Quamvis in primitiva Ecclesia Festum Nativitatis Dominicæ in ipso Januario celebratum, & Chrysofomi demum ævo in XXV. diem Decembris translatum fuisse, putet Wilhelm9 Cave, Theolog9 Anglic. in Tract. Christianisme primitiv. part. 1. c. 7.

CAPVT II.

DE EO QVOD IIVSTVM EST
CIRCA NOVVM ANNVM

In Ecclesiasticis.

§. I.

Kalendas Januarii, quibus novus aperitur Annus, Romanis quondam sacras quam maximè & solennes fuisse, singularique celebratas cultu, historiatarum passim edocemur documentis, & in Jure nostro apparet post alias, ex *L. IV. §. 1. C. de advoc. divers. judicum*, ubi Imperator Anastasius *diem festivitatis Kalendarum Januariarum solennem* vocat, singularemque ejus prærogativam his verbis luculenter innuit. Consules quippe hoc die Magistratum inibant, ut apparet ex *L. XXXVI. pr. d. Cond. & Demonst. add. Rosin. Antiqu. Lib. III. cap. 5.* & Processum solennem agebant ex constitutione Justiniani *Novell. CV.* ubi Consulium consuetos Processus seu *megódyx* reprimendæ luxuriæ causa ad septem reduxit, eorumq; primum Kalendis Januariis fieri jussit, quibus Consulatum suscipiebant & hujus possidebant codicillos, *d. Nov. CV. cap. 1.* Adscendebant nimirum Consules cum populo novis vestibus induto in Capitolium, ibique juvencos albos laboribus nondum adhibitos immolabant, id quod Ovidius *Lib. I. Fastor.* his testatur versibus :

Vestibus intactis Tarpejas itur in arces

Et populus festo concolor ipse suo est.

Jamque novi præeunt fasces, nova purpura fulget,

Et nova conspicuum pondera sentit ebur.

Collatades operum præbent ferienda juvenci
Quos aluit campis herba Phalisca suis.

Quò & pertinet, quod Herodianus memorat *Lib. 1. cap. 16.* quando scribit: *Diem (anni ineuntis) Romani festum agunt. Ad Janum vetustissimum Italia Deum referentes, cuius etiam Saturnum ipsum, ab Jove filio pulsum quum in terram descendisset, fuisse hospitem predicant, & quod ibi latuisset, nomen Latio inditum. Quocirca etiamnum Romani Saturnalia prius, dein verò initium anni more suo concelebrant. Potissimum Romani invicem se colunt, salutantque & nomismata alter alteri, ceteraq; omnifariam munera misistant, summiq; magistratus conspicuam sibi & solennem purpuram induunt. Et Tibullus *lib. IV.**

Non modo fulgentem Tyrio sub temine vestem
Indueras, oriente die, duce fertilis anni.

§. II. Accedebat huic solennitati votum, quo quivis alteri felix anni auspiciam apprecabatur, & fausta quavis ominabatur. Scilicet, omina quadam principiis inesse firmiter sibi persuadebant Romani, ut ostendit Briffoni *de formul. Lib. 1.* Undè Plinius *Lib. XXVIII. cap. 2.* Primum initium sumentis anni diem lætis precationibus invicem faustum homines ominari solere, ait, & Ovidius hujus ritus causam à Jano perquirens, responsum ab eo reportat, *Lib. 1. Fast.* sequentibus versiculis:

At cur læta tuis dicuntur verba Calendis,
Et danus alternas accipimusq; preces?
Tunc Deus incumbens baculo quem dextra gerebat,
Omina principiis, inquit, inesse solent.

§. III. Nec privatim solum & inter amicos, sed publicè etiam pro salute Principis æternitateque Imperii vota concipiebantur, quamvis JCrus Cajus eadem post Kalendas Januarias die tertio suscipi tradat, *L. CCXXXIII. §. 1. d. V. S.*
quo

quo sensu Impp. Arcadius & Honorius in *L. un. C. de oblat. votor.* Votis communibus annum aperiri dicunt : quorum votorum formulas adducit ipsamq; legem ex omni antiquitate eruditè interpretatur Joh. Strauch in *Comment. subit an. ad d. L. un. C. d. obl. vot.*

§. VI. Nos, quibus purior per Dei gratiam veritatis evangelicæ Lux affulsit, quique ab omni impia paganorum superstitione secessum fecimus, diem hunc Kalendarum Ianuarii festum quidem & solennem etiamnum habemus, in solius autem divini Numinis honorem eundem celebramus, ipsiusque cultui devoto nos meritò mancipamus. Communi namque & concordi Ecclesiæ Christianæ consensu dies ille Ianuarii primus, quo Annus Novus inchoatur, inter solennia festa receptus, & meditationi verbi divini actibusque sacris est dicatus. Et quidem jam olim in Concilio Lugdunensi celebratio hujus diei indicta fuit laicis, quando in *can. I. de consecrat. dist. 3.* inter dies per annum feriandos recensentur *Octava Domini*, quibus verbis ipsius Natalis Domini octavam diem, quæ incidit in primam Ianuarii, significari monstrat Glossa subjecta, *d. can. 1.* Idem constituit quondam in Orientis Imperio Manuel Comnenus Imperator (prout legitur in *Constit. Ejus II. Novellis Justiniani subjecta*) quando non quidem Kalendas in specie Ianuarias, sed *vigesimum diem Decembris usq; ad ipsum sextum Ianuarii* vult esse feriatum, utpote quod *diebus iis natalitia & baptismus Domini & Dei & Servatoris nostri Jesu Christi celebretur.* Καὶ μέγας καὶ αὐτῆς ἡμέρας ἡ τῆς Ἰανουαρίου, ὡς ἐν αὐταῖς ἐορταζομένων τῶν γενεθλίων καὶ τῆς βαπτίσματος καὶ τῆς κυρίας καὶ θεῆς καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Quæ pia consuetudo ad nostra usque tempora per univ. sum Ecclesiæ ambitum fuit translata, & jam lege firmata publicâ : ita enim in *der kaysferlichen Erklärung wegen der Religion. Zu Augspurg. de an. MDCXLIII. tit. von den*

Ceremonien. §. Man soll auch die Fest so von der Kir-
chen angenommen behalten/ und wo nicht alle/ doch die
Fürnemsten/ nemlich: Die Sontäg. Den Geburts-
Tag des HErrn. Die Beschneidung des HErrn. &c.
Eundemq; morem seqvuntur Status Evangelici in Imperio
Romano omnes, veluti patescit post alia, *ex Ordinat. Eccle-
siast. Elect. Saxon. Tit. von sondern Festen. & Ordin. Ec-
clesiast. Serenissimorum Ducum Saxo-Vinariensium Part. I.
cap. 10. verb.* Ferner sind auch ganz zu feyren/ der
Tag Circumcisionis, oder die Beschneidung Christi.

§. V. Quantum ad Vota attinet, non improbandus
est mos iste antiquo, quo alter alteri sub Novi Anni auspiciū
benè precari solebat, isq; propterea inter Christianos hodie-
nū meritò viget, procul tamē habitā omni gentiliū supersti-
tione, quā ex omnibus hisce concipere consueverant. Apud
Argentoratenses sanè ita obtinere, ut constitutus paulo post
Calendas Januarii novus Consul civibus collectis publicè
vota pro felici ingressu Anni faciat, notat Limneus *de Jur.
Publ. Lib. VII. cap. 3. n. 9. in f. verb.* Nach Verrichtung
dieses kömmt der Stadtmeister an das Gelähn/ da der ro-
the und weiße Damast hencket/ wünschet der ganzen
Bürgerchafft ein glückseeliges Neues Jahr. &c. Sed
& in ipsis Ecclesiis nostris hunc ritum servari novimus, ut
Pastores eodem primo Januarii die, vel quamprimum in
Novo Anno suggestum conscendunt, Auditoribus suis cæ-
tuique fidelium felicia quævis precentur. De quo ritu
num servandus sit? disquirat Kesler *Theolog. Cas. Conscient.
cap. XXXVIII.* et affirmativè respondet, modò absit omne
adulandi studium aut propositum captandi munera. Sed
gravius dubium movet jam dictus Auctor *ibid.* Num in hisce
votis ordo Clericorum licitè præferatur politico Regentium
Ob in gebräuchlichen Wunsch des Neuen Jahres auff offe-
ner

ner Canzel die hohe Obrigkeit vor dem Geistlichen Stande zu begrüßen? In quo negativa ipsi placet, sequentes ob rationes: 1. Quoniam ordo Statuum id exposcit. 2. Quia Christus hunc ordinem servavit in oratione Dominica. 3. Quia idem hodiernum observatur in Litanis, nec non 4. in precibus publicis à Ducibus Saxoniae in Ecclesiis suarum regionum praescriptis ac receptis. Ubi tamen in fine adiaphorum id esse, rectè monet, atque Pastores Ecclesiarum, ne ad Placentinorum accedant ordinem, graviter hortatur.

§. VI. Dum publicæ devotioni Kalendas Januarias in Ecclesiis Christianorum dicatas esse dicimus, ex eo simul inferre licet, non convenire piis & in Christum verè credentibus, diem hunc commestationibus, ludis aut actibus aliis profanis transigere, sed decere illos potius templum frequentare, vacare auditioni sacrarum concionum, Deoque sincero corde litare & operibus sanctis. Antiquitus equidem non minima Kalendarum Januarii solennitas in eo consistebat, quod epulae in honorem Jani instruerentur, perque vicos & plateas cantiones & choreae haberentur publicæ, qua de re Prudentius:

Jano etiam celebri de mense litatur
Auspiciis epulisque sacris: quas inveterato
Heu miseri, sub honore agitant & gaudia ducunt.

Verum gentiles & profanos hosce ritus meritò averfari fuere Christiani mox in prima Ecclesia, atque hinc per Zachariam Papam in Concilio Romano ita statutum, ut refertur in can. XIV. caus. 26. qv. 7. *Si quis Kalendas Januarias & brumam ritu paganorum colere, vel aliquid plus novi facere propter novum annum; aut mensas cum dapibus vel epulis in domibus preparare, & per vicos & plateas cantiones & choros ducere praesumpserit, quod magna iniquitas est.*

est coram Deo, anathema sit. Quò & pertinet decretum Concilii Turonici II. quod *can. XVI.* ita edicit: *Enimvero quoniam cognovimus nonnullos inveniri sequipedas erroris antiqui, qui Calend. Januarii colunt, cum Janus homo gentilis fuerit, rex quidem, sed Deus esse non potuit &c. Contestamur illam sollicitudinem tam pastores quam presbyteros gerere, ut quemcunq; in hac fatuitate persistere viderint &c. eos ab Ecclesia sancta auctoritate repellant, nec participare sancto altario permittant, qui Gentilium observationes custodiunt.* Licet autem ab Ecclesia non semel proscrip-
 ptæ fuerint ludicræ istæ superstitiones, non potuere tamen prorsus evelli, quin sæpius repullularent, & plus solito vires acciperent, adeò ut non à secularibus tantum, sed & ab ipsis Episcopis & Sacerdotibus usurparentur, institutà solemnitate *Festi Hypodiaconorum*, vel *Stultorum*, de quo elegantia narrat *Fresne in Glossar. verb. Calende.* Ut hinc districtius in Synodo Toletana IV. non solum epulæ ille lautiores fuerint prohibitæ, sed & jejunium in Calendis Januarii indictum; sic enim *Canone X.* legitur: *Statuimus, ut in omnibus diebus quadragesimæ Alleluja non cantetur, quia tempus mœroris est. In temporibus verò reliquis, id est Calendis Januarii, quæ propter errorem gentilium aguntur, omnino Alleluja non decantabitur. In quibus etiam, præter piscem & olus, sicut & in illis quadraginta diebus cæteris, carnibus abstinetur, & à quibus etiam nec vinum bibitur.*

§. VII. Absit tamen ut omnes in universum agapas seu Christianorum convivium (*Neue Jahrs collationes*) quæ nonnunquam in amicitia & amoris tessera hoc die instruantur, damnemus aut foràs propellamus, si modo intra debitos honestatis cancellos contineantur, nec à cultu avocent divino aut aliorum inserviant scandalo: Ad adiaphora enim hæc talia potius pertinere, quilibet facilè concess-

Terit. Absit etiam, ut cantilenas illas pias & solennes, quas Scholares cum præceptoribus suis & templorum Cantoribus sub novi anni ingressum per plateas facere, sicque cantando ostiatim stipem colligere consueverunt, vulgò **das Neue-Jahr singen** / Conciliorum statutis aut morum disciplinæ adversari putemus : Nec enim Ethnicorum Idola his choris honorantur, sed publicæ vero Deo persolvuntur grates, devotioque Credentium accenditur, ad implorandum divini Numinis auxiliū per totum inchoati aņi curriculum necessarium. Atque hinc ubivis locorum permittitur non solum pueris pauperioribus, qui in scholis sustentantur, & panem propter Deum colligunt, ut hymnis & psalmis pecuniolam præter ordinem expetant, sed & salutari prorsus & pio Zelo à Potentissimo Saxonix Electore constituitur, ut ejusmodi dona consueta egenis pueris absque diminutione liberaliter erogentur, in Ordinatione Scholarum, *Tit. Von den armen Schülern s. des gleichen verb.* Was den armen Knaben zum Neuen-Jahr gegeben wird sollen sie ihnen nicht abdringen / sondern wie sich gebühret / und an ihm selbst billich ist / folgen lassen.

§. IIX. Idem circa Aedituos & templorum custodes observant Christiani Principes, nec permittunt, ut quod talibus personis circa sacrum ministerium occupatis, in præmium laboris ineunte novo anno dari consuevit, illis à parochianis denegetur, veluti etiam hac de re dispositum legitur à Serenissimo Saxonix Legumlatore & Electore, in der Chur S. Landes Ordn *tit. XL. in fin.* Und weil es verschiedener Zeit Gewohnheit gewesen / daß man dem Kirchner auf den Dörffern den grünen-Donnerstag oder Oster-Eyer / des gleichen den heiligen Abend oder Neu-Jahr / so sie den Sprengkessel oder geweihte Wasser umgetragen / nun aber weil solches gefallen / nicht mehr geben wollen / Gleichwohles ihm ein geringes zuthun ist / also daß sich des selbte

selbigen jemand's zubeschweren nicht Ursache. So achten wir für gut und billich / daß ihnen solches nochmahls gut willig gegeben werde / so viel mehr / weil es frey und auff keine gewisse Anzahl gerichtet / oder jemand's daran gebunden. Quod iisdem verbis repetitur in denem general-articulu Tit. XL. Wie sich die Gemeine gegen ihren Custoden oder Glöckner verhalten sollen. in fin. Add. vom Neu-Jahrs Brodte D. Georg. Heiner. Brückner, *Diss. de Hierophylac. Art. IV. §. 3. in m.*

§. IX. Nonnullis in locis ipsis quoque Pastoribus circa introitum novi Anni oblationes quædam fiunt, sive sponte hæ offerantur, sive colligantur per ecclesiæ ministros seu curatores, die Kirch-Väter oder Altaristen. In hisce igitur muneribus, quin idem juris sit, ac in illis, de quibus proximè dictum fuit, dubium planè non est: Referuntur enim inter accidentalìa Pastorum, quæ licet ratione quantitatis à mera liberalitate offerentium dependeant, in se tamen spectata, postquam per consuetudinem necessitatis factæ sunt privatorum arbitrio amplius non subjacent. D. Ahasverus Fritsh. *de Jure Accident. cap. II. in fin.* Franc. Stypman. *de Salar. Cleric. cap. III. n. 58.*

§. X. Ex quo simul decidi potest quæstio: An hi reditus Novi Anni, etiam pertineant ad Annum Gratia, qui defuncti Pastoris viduis, vulgò debetur? Affirmandum d putamus, cum omnes indistinctè proventus, qui defuncto Pastori assignati sunt, vidua cedere eique cū salario fixo obvenire soleant, ergò & munera hæc Calendarū Januarii nō esse, exclusa sequitur, argumento eorum, quæ habet Carpz. *Jurispr. Consist. Lib. I. def. 189. 190. & 191.* add. Brunnem. *Jus Ecclesiast. Lib. II. cap. 13. §. 6. & Lib. II. cap. 5. §. 14. ibique* D. Stryck. *in annot.* quamvis loci cujusvis statuta hac in causa probè veniant attendenda, quippe quæ sapius diversitatem important,

tant, uti videre licet apud Stypmann. *d. Salar. Cleric. cap. XI. n. III. seqq.*

§. XI. Cæterum munera hæc & oblationes quæ Pastoribus in Novo Anno fiunt, an Accidentalium numero præcisè adscribi, an verò salarii portio censerì pebeant? non omni penitus caret controversiâ. Nos tum consuetudinem locorum, tum etiam solvendi modum hic imprimis attendendum esse putamus, ita, ut si ex his appareat, non mere accidentalium titulo eadem dependeri, ad Salarium potius sint revocanda, & sub hoc capite ei simul adjudicanda qui aliàs salarii partem capit: Veluti juxta hoc nuperrimè ab Illustri Consistorio Tutelari, quod Jenæ viget, decisæ fuere lites inter Parochum ab una, ejusq; substitutum ab altera parte, in proximo pago C. cujus decisiva verba ita sonat:

Euch dem Amman ist vorhero bekandt, was zwischen dem Pfarr und dessen Substituto zu N. N. wegen des so genanten Neu-Jahr Geldes sich vor Irrungen herfürgethan / und wie zu deren Beylegung vor 8 Tagen termin anberaumet gewesen / nachdem aber ermeldter Pfarr nicht erschienen / also beyde Theile gegen einander nicht verhöret werden können / gleichwohl aber aus allen Umständen so viel erhellet / daß dieses so genante Neu-Jahr Geld unter die accidentia so bloßer Dinge nicht zurechnen / und dahero der Billigkeit nach / unter den Pfarr und Substituten zugleich zu vertheilen / als begehren an statt und wegen des Durchl. &c. in Vormundschaft &c. wir hiermit / ihr wollet es dahin richten / damit das zu diesen mahl durch die Kirchenvorsteher eingesamlete Neu-Jahr Geld unter den Pfarr und Substituten gleich distribuiret / auch in zukunfft es allemahl also damit gehalten werden möge. An deme &c. Und &c. Datum Jena / den 20. Jan. 1688.

C 2

CAP.

CAPUT III.

DE EO QVOD IVSTVM EST
CIRCA NOVVM ANNVVM
In Politicis.

§. I.

Rimum ac præcipuum quod in Politicis circa
Anni Exordium observari meretur, est Judicio-
rum Cessatio. Cum enim secundum Ecclesia-
rum ordinationes *prac. cap.* adductas, Kalenda-
rum Januariarum dies præ reliquis festus sit, & devoto co-
lendus otio, consequitur indè à jurgiis & litibus judiciali-
bus hoc tempore imprimis esse abstinendum, quippe per
quas piæ meditationes turbantur non parum, animusque à
divinorum beneficiorum avocatur contemplatione, quin
& profanis haud rarò immergitur cogitationibus. Lauda-
bili hinc exemplo Christiani Imperatores in *L. VII. C. d. fe-
riis*, certas per annum solennesque ferias, quibus judi-
ciales cognitiones & actus suspendi debeant, constituere,
illisque Kalendas Ianuarii emphaticis his verbis annume-
rare non dubitarunt: *Kalendarum quoq; Januariarum con-
suetos dies otio mancipamus.* scil. non inertis & voluptati-
bus dedito, sed religioso & Christianis quam maximè con-
venienti. Nec ipsas tantum Ianuarii Kalendas, sed & *pri-
diè* Kalendarum & tertium Nonarum, atque sic tres in uni-
versum dies feriatos esse iussisse Impp. hac in lege, apparet
ex verbis: *consuetos dies, cum & jam olim id ita obtinuerit,*
velu-

veluti constat ex *L. V. d. fer. & L. CCXXIII. §. 1. d. V. S.* notante Jacob. Gothofr. *ad L. H. C. Theodos. §. Terrio.* Convenit cum hac ordinatione, quantum quidem ad primum Ianuarii diem attinet, non solum Pontificis decretalis in *cap. fin. de feriis* quæ *Circumcisionis die* tanquam feriato iudicalem strepitum ob reverentiam erga Deum quiescere jubet, sed & ordinationes iudiciorum per universum Imperium omnes hac in re concordant, Iustitium generale à tempore Nativitatis dominicæ usque ad Epiphaniæ festum indicentes. Vid. *Cammerger. Ordn. Part. III. tit. 33. Chursl. Brandenb. Proc. Ordn. des Herzogth. Magdehb. cap. II.*

§. II. Quid autem, si partes Feriis hisce Kalendarum renunciaverint, sponteque iudicem adeant, & eius cognitionem ac decisionem petant? an id facere ipsis erit permissum? Negativè respondet Gregorius IX. Pontifex *in cap. fin. de feriis & solennibus Circumcisionis feriis* usque adeò actus ejusmodi prohibet iudiciales, ut consentientibus licet partibus nec processum habitum, nec sententiam, quæ contingit hac die promulgari, velit tenere. Licet enim feriatis diebus, qui ob hominum necessitates indulgentur, quales sunt vindemiarum & messis, in iudicio de partium voluntate procedi queat, id tamen neutiquam est permissum in festis diebus, qui in divini nominis cultum & honorem à Supremo Magistratu instituuntur, *d. cap. fin. Add. Wesembec. Parat. d. fer. n. 8. Gail. Lib. I. Obs. 53. n. 16. Menoch. latè d. A. J. 2v. Lib. I. qv. 30. à n. 1. usq. ad 14. Ziegl. ad Lancell. Inst. jur. Can. Lib. II. t. 5. §. 8.*

§. III. Arque id ipsum non in ordinariis tantum iudiciis locum obtinet, sed extenditur etiam ad Arbitros, ità ut nec apud illos, sive à iudicibus flagitatos, sive spontè electos, ulla hoc festo die permittatur cognitio iurgio-

rum *d. l. VII. C. de feriis*. Ex quo porro consequitur, quod nec testium juramentum hoc die recipere, *cap. I. d. fer.* nec executionem facere, aut ulla alia exactione aut vexatione eundem liceat profanare *L. fin. C. ead.* quamvis Menoch *d. A. J. Q. de qu. 30. n. 51. seqq.* testes diebus festis examinari, pignorationem fieri, laudumque ab arbitratoribus ferri posse ex eo contendat, quod hi actus cognitionem judicialem non requirant: Cui tamen assensum suum haud immeritò denegat Brunnemann. *dl. 8. C. d. fer. in fin.*

§ IV. Excipit nihilominus Pontifex in *d. Cap. f. d. t.* ab actibus judicialibus Kalendarum harum festo prohibitis, eos qui necessitate urgente vel pietate svadente expediuntur, illosque licite peragi posse decernit: Id quod ita explicat Wammesius *vol. I. Conf. LXXVI. n. 6.* ut Pietas illa Deum respiciat, vel contemplationem hominis contineat cum respectu ad Deum: necessitas verò referatur ad rem quæ tempore esset peritura, vid. Brunnemann. *Proc. civ. cap. VI. n. 20.* Ex horum igitur altero infertur, quod Appellatio ritè interponi queat in Novi Anni Festivitate, *L. I. C. d. fer. Ayrer. Process. histor. Cap. V. Obs. 6. n. 14.* Scaccia *d. Appellat. Qu. XII. n. 51.* D. Nicclai *Proc. Part. II. cap. 3. n. 22.* Quod & Novi operis Nunciatio eadem fieri possit, quoties sc. periculum aliquod ex ejusdem intermissione imminet, Ungepaur. *ad Decret. tit. de fer. n. n. 35.* Quod item Arrestum impetrare liceat, Christinaeus *lib. II. Dec. 158.* Carpz. *p. I. Const. 29. def. 15. & Pr. tit. XXI. art. 3. n. 10.*

§ V. De Citatione, & num die festo infinuari absque nullitatis vitio queat, diversa est DD. sententia. Pro affirmativâ namque stant parte Vantius *d. Nullitat. Tit. de Nullit. ex defect. citat. n. 46.* Besold. *de Proc. judic. cap. III. tb. 6. lit K.* König *Process. cap. XXXII. in fin.* Gail. *Lib. I.*

Obs.

Obs. 53. n. 7. Ziegler. ad Lancellat. Inst. Jur. Can. d. L. III. tit. 5. §. 7. verb. judiciorum strepitus. Hahn. ad Wesenb. tit. de Feriis n. 5. Negativam contra defendunt Wurmser. Lib. 1. d. Obs. pract. tit. 6. art. 4. Treutler. Vol. I. Diss. IV. tb. 4. lit. C. Myns. Cent. 1. Obs. 77. in fin. Hillig. ad Donell. Lib. XXIV. cap. 7. lit. A. Brunnem. Proc. Civil. cap. VI. n. 22. Et ad L. fin. C. de feriis. Quam ultimam opinionem tum piæ Impp. intentioni, qui in *d. L. fin.* omnem apparitionem tacere, nec quemvis admonitione urgeri voluerunt: tum & rationi, quæ nemini in die festo negotium faceffere jubet, quàm proximè accedere arbitramur.

§. VI. Ex altero illo, nimirum pietatis svasu, descendit, quod transactiones & pacta concipere haud prohibeatur Festo Kalendarum Januarii, expressè ità decidentibus Impp. in *L. fin. C. d. fer.* verb. *Ad sese simul veniant adversarii non timentes, subeat animos vicaria pœnitudo: pacta conferant, transactiones loquantur.* Idem iudicium super Aegrorum visitatione, Hominis è periculo liberatione, Carceratorum justa defensione, boni Consilii communicatione & si quæ sunt similia misericordiæ ac pietatis opera pronunciarì debet, cum hæc omnia festo hoc die minime interdicta censeantur. Vid. D. Joh. Georg. Simon. *d. Feriis tb. 38.*

§. VII. Emancipationem porro & manumissionem diebus feriatis peragere concessit Theodosius Imp. in *L. II. C. de feriis* & Impp. Valent. Theodos. & Arcadius in *L. VIII. c. eod.* quod & jam olim antiquo jure licitum fuisse Paulus indicat *Lib. II. Recpt. sent. tit. 25. §. 3.* Ex quo patet, actus hosce licite etiam expediri in Novi Anni celebritate, præsertim cum ex sententia Constantini Imp. in *L. I. Cod. Theod. d. t.* gratum ac jucundum sit, festo die quæ sunt maximè votiva compleri. Hinc Unionem quoque prolium tanquam
rem

rem gratam & votivam eodem celebrari posse, non inconcinne tradit D. Schilter *Excerc. theor. & pract. ad Digest. VII. tit. de fer. th. 26.* Quod de Tutoris datione, juxta L. II. ff. d. t. asserit Goth, *ad L. VII. C. eod. ut & de Testamento conficiendo Ayrer. Proc. hist. d. Obs. VI. cap. 5. n. 17.* Non autem ad alium contractum aut instrumentum præter necessitatis casum extendendum esse, monet Brunnem. *ad d. l. 8. Hahn ad Wesemb. d. t. n. 5.*

§. VIII. Quod de civilibus judiciis modo dictum fuit, id multo magis ad criminalia extendendum esse, res ipsa indicat. Nam hæc quoque tempore isto lætitiæ sacræ destinato penitus quiescere debere, ratio suadet: non quidem ob superstitionem illam Romanis quondam consuetam, qui primo Januarii die nihil triste publicè privatimque perpetrabant, nedum fontes puniebant: Unde, cum Marius C. ipsis Kalendis Januariis Sextum quendam Licinium de Saxo præcipitari fecisset, hoc factum tam urbi quam ipsis impendentium malorum maximum esse arbitrati fuere prælagium, Plutarch. *in Mario.* quin & in bello ab armis illos eo die abstinuisse, auctor est Appianus *de Bell. Civil. cap. V.* Sed ex libertate Christiana & pia quadam intentione, ne sc. publicus Deo dicatus cultus cruentis aut luctuosis deformetur spectaculis, aut infirmioribus & rudibus offendiculum præbeatur, præsertim cum & apud Dei populum idem in usu fuisse notum sit.

§. IX. Sed ad alia nunc progredimur, & ut nonnulla etiam de Muneribus Principi quondam sub novi Anni ingressum oblatis dicamus, monemur notabili illa, quam jam supra *cap. preced.* adduximus *Lege unic. C. d. Oblat. Vat.* Scilicet mos apud Romanos inoleverat, ut votis istis publicis, quæ illi pro salute Imperatorum festo Kalendarum Januarii die concipiebant, munera quædam adjicerentur inq;

inque subjectionis signum ac reverentiæ debitæ tesseram humillimè offerentur. Duo autem erant oblationum istarum genera: aliæ namque solenni voto suscipiebantur tertio post Kalendas Januarii die, L. CCXXXIII. §. 1. d. V. S. sive A. D. III. Nonas Januarias, id est, ante diem III. Non. Jan. explicante Strauchio, *Comment. ad l. un. cap. III.* aliæ verò absque voto vel promissione spontè mittebantur quæ STRENARUM nomine veniebant, Strauch. *d. l. Cap. IV. Petr. Gregor. Tholos. Sytagm. Jur. univ. Lib. III. cap. 6. n. 3* ambo tamen in eo conveniebant, quod signum essent & argumentum amoris atque cultus Superioribus debiti. Notatu valde & digna nitida sunt verba, quæ hanc in rem unà cum Strenis DDD. Valentiniano, Theodosio & Arcadio Auggg. offert Symmachus P. U. *Lib. X. Epist. 28.* quæque prinde hic legi quam maximè merentur. Ita quippe inter alia scribit: *Sumite igitur defensores publicæ salutis solenniter auro ducta munuscula; non quia divitis metalli honore gaudetis, sed ut nostra devotio felicitis seculi testetur opulentiam. Bonis principibus benè parta libamus. Suscipite à iudicibus aperta obsequia, qui pretia occulta damnatis. Meritò vobis solennes pateras cum quinque solidis, ut numinibus integritatis offerimus, quibus nec vester pudor, nec noster census oneratur: Maneat ædum talis circa vos usus officii, & honorem Clementiæ vestræ interminus Annorum recursus restauret: Libenter strenis solennibus Præfectura fungetur, strenuis deferenda. &c.*

§. X. Strenarum quidem quod nomen concernit, easdem sic ductas putat Martinus del-Rio, quasi *Trenas*, eò quod Ternarius perfectionis atque plenitudinis habeatur nota, & Trina sint quasi omnia, *Lib. III. Disquisit. magic. part. II. qu. 4. sect. 5.* Quæ derivatio Festo etiam aliisque arridet, qui denominationis illius hanc reddunt ra-

D

[tio-

tionem, quod illis donis boni ominis gratiâ oblati significetur, alterum tertiumque annum parisi felicitatis esse venturum. In quem ferè modum filiolos nostros pro acceptis ejusmodi strenis gratias agentes dicere solere, & optare, ut finito anno iterum terque quaterque donare liceat: *Dass ihrs erlebet / und noch drey und viermahl wiedergebet /* festive scribit Walther *in postill. Juridic. in festo Circumcis. §. XXXV.* Alii tamen Strenarum appellationem à *Strenua* Dea, illarumque originem à *Tatio* Rege manasse autumant, qui primùm Romuli hostis, deinde collega in Regno Romano fuit: Cujus derivationis auctor est *Symmachus Lib. X. citat. Epist. 28.* Sic Imperatores alloquens: *Ab exortu penè urbis Martia Strenarum usus adolevit, auctoritate Tatii Regis, qui verbenas felicitis arboris ex luco Strenue anni novi auspices primus accepit: nomen indicio est viris Strenuis hac convenire ob virtutem &c.* Idem innuit *Metellus*, vetus Poëta Christianus & Monachus Germanus, ante millesimum Christi annum *in Quirinalibus Carmine V.* ita canens:

Strenæ præterea nitent

Plures aureolæ, munere regio.

Olim Principibus probis

Jani principis auspicio data,

Faulto temporis omine

Ut ferret Ducibus strenua strenuis

Annus gesta recentior.

§. XI. Ab illo igitur tempore mos hic Imperatoribus ac Regibus Strenas offerendi perdurasse ac apud populum Romanum firmissimas egisse radices videtur. Augusto quippè Cæsari Kalendis Januariis ordines strenam in Capitolio etiam absenti mittebant, ex quâ summâ ille pretiosissima Deorum simulacra mercatus vicatim dedicabat, *Sueton. in vita Augusti cap. LVII.* Et quamvis postea *Tiberius*

berius Strenarum commercium edicto prohiberet, ne ultra Kalendas Januarias exerceretur, soleretque quadruplam strenam & de manu reddere, Sveton. *in Tiberio cap. XXXIV.* præterea quoque Kalendis ideo ab urbe abesse mallet, ne Strenas acciperet, & quod Augustus id fecerit, improbaret, quasi res esset multæ molestiæ, multique in rependendo sumptus, ut habet Dio Cassius, notante Schild. *ad Sveton. d. cap. XXXIV.* De illo ipso tamen Tacitus memorat, quod Solemnia ineuntis anni Kalendis Jannarii epistolâ fuerit precatus, *Lib. IV. Annal. cap. 70.* Quo quidem in loco nonnulli pro *precatus* legere malunt *præfatus*, quasi Tiberius in epistolâ de Kalendis quædam præfatus fuerit; Sed lectionem communem defendit Lipsius, ostendens, quod ipse Cæsar sacra auspiciaque ejus diei epistolâ sit veneratus, ipsoque Kalendarum die Strenas à Senatu per epistolam exegerit, Gronovius *in not. ad Tacit. cit. loc.* vel rogaverit, prout verbum *precatus* intelligit Freinsheimius.

§. XII. Proniores insequentibus temporibus ad recipienda hæc munera publica Cæsares fuerunt: Ita enim de Caligula Svetonius narrat, *in ejus Vita cap. XLII.* quod Strenas ineunte anno se recepturum edixerit, steteritque in vestibulo ædium Kalendis Januariis ad captandas stipes, quas plenis ante eum manibus ac sinu omnis generis turba fundebat. Verum id ipsum monstrosæ ejus adscribimus avaritiæ, ingentique ipsi vitio merito habemus, cum novissimè contractandæ pecuniæ cupidine ita fuerit incensus, ut sæpè super immensos aureorum acervos, patentissimo diffusos loco, & nudis pedibus spatiatum & toto corpore aliquandiu sit volutatus, teste Svetonio *d. cap. XLII.* Modus itaque à succedentibus Imp. huic largitati demum fuit præscriptus, quando Arcadius & Honorius AA. præfe-

cto Vrbi significarunt, in *L. un. C. d. oblat. vot.* Se, quando votis communibus felix annus aperitur, offerendi devotionem in una libra auri & solidis obryzatis susceptures: statuentes insimul, ut deinceps sequentibus annis uniuscujusq; sedulitas Principibus suis talia inferat semper & deferat. Sic igitur non penitus aspernari, sed tamen restringere liberalitatem devotissimorum subditorum voluisse creduntur gloriosissimi Imperatores, quò illi hac ratione & devotionis atque obsequii sui memores viverent semper, nec tamen Strenarum excederent quantitatem, Perez. *ad d. l. un. n. 4.* Unicam enim solam Auri libram inferri jusserunt, quam solidis obryzatis LXXII. constituisse, Auctor est Cujaciu in *Comment. ad d. l. un.* Hodiè verò eandem esse quæ marca auri, ein *Marck lörtigen Goldes*/post Gail. *Lib. 1. Obs. 30.* Carpz. *Pract. Crim. 2v. LXXIX. n. 23. seqq.* Aliosque docet D. Joh. Georg. Krull. *de Regal. monet. Jure cap. 7. n. 30.*

§. XIII. Derivatus fuit hic Strenas mittendi ritus ad nostra quoque tempora, dum non solum Principibus sub Ingressum novi anni, Donaria mittendi consuetudinem in plurimis civitatibus, quæ Principum aulis fulgent, observari novimus, sed & inter æquales multis in locis vigere, videmus. Unde primò non immeritò quæritur: An ritus ille mittendi ac recipiendi Strenas inter Christianos probandus sit ac tolerandus? Agentilium equidem idolatria eundem suum habere ortum, plus est quàm manifestum, obque id ipsum graviter illum reprehendit D. Augustinus, relatus in *can. XVI. caus. 26. qv. 7.* quando scribit: *Non observetis dies, qui dicuntur Ægyptiaci, aut Kalendas Januarii, in quibus cantilena quadam & commensationes & ad invicem dona dantur, quasi in principio anni, bonifati augurio* Quod & Martinus Papa innuit in *can.*

XIII. d. caus. 26. qv. 7. his verbis : *Non licet iniquas observationes agere Kalendarum, & otis vacare gentilibus, neque lauro aut viriditate arborum cingere domos : omnis enim, hac observatio paganismi est.* Unde Concilium Antisiodorense cap. I. Strenas, propter taliusmodi superstitiones, diabolicas vocat, cum ita decernit : *Non liceat Kalendis Januariis veculo aut cervolo facere, vel Strenas diabolicas observare sed in ipsa die sic omnia beneficia tribuantur, sicut & reliquis diebus.* Ubi per *veculum & cervolum*, Strenam cum voto ad singulare aliquod numen mitti solitam, verbi gratia ad Cererem, pro felici frugum proventu, vel ad Venerem ad suscipiendos feliciter liberos, intelligi, atque sic Strenas illas *vecola*, vel *vericola*, quasi *venericola*, & *cervola*, vel *cericola*, quasi *cerericola*, appellatas fuisse ex Marcelli Donati elucidationibus in Svetonium, adducit Strauch. *Comm. tit. d. oblat. vot.* quamvis Mart. del Rio. *Lib. III. disqv. mag. part. 2. qv. 4. sect. 5.* Vitulo seu buculo & cervolo legendum esse conijcere malit, & doctissimus Carolus du Fresne per hæc verba profanum ludum innui doceat, quo belluarum & vetularum assumtis, formis huc & illuc discursare & petulantius se gerere solebant homines. *Glossar. Latinit. verb. Cervula.* Veruntamen abolita hodie, per Divinam gratiam, inani illa gentilium superstitione, quæ rigida huic canonum censura causa fuit, nil quicquam obstare videtur, quo minus alter alteri vel honoris deferendi, vel amicitia contestanda & conservanda causa licite strenam mittere queat. Quod si verò id faceret, pro omine prosperi eventus, tunc, cum sic observatio vana divinationi mixta appareret, minimè à peccato immunem illum existere putat Mart. del Rio, *d. Lib. III. disqv. mag. cit. loc.* ubi subjungit, quod, si quis mitteret Strenam in honorem Circumcisionis dominicæ, quam illo die cele-

brat Ecclesia, veniam illum mereri coram Deo: quam sententiam aliis expendendam relinquimus.

§. XIV. Quantum jam speciatim ad Strenas Principi à subditis offerri consuetas attinet, quæstio moveri posset; Si Senatus oppidanus Principi, per tempus longissimum, quotannis certum donarium Strenæ loco obtulerit, ab illo verò desistere velit, an à Principe illud licitè exigì possit? Ita omninò videtur, tum argumento *d. l. un. C. de obl. vot.* quâ jubentur subditi, ut deinceps sequentibus annis Principibus suis talia dona, (quæ ante hac offerre consueverant) ingerant semper & deferant: Tum quia Strenæ istæ in obsequii & subjectionis tesseram solvuntur, quas si amplius recusarent subditi, à devotione & obsequio desistere velle viderentur, adeoque ad ejus observantiam modis omnibus possent compelli: Tum etiam quod præstationes istiusmodi uniformes, per tempus longissimum vel immemorabile oblatae, præscriptionis quandam continent speciem, *Jas. & Alex. in l. si certis annis C. d. pact. Canonistæ in cap. pervenit. d. censib. Decian. vol. 1. conf. 36.* quæ quia plenissimum Jus tribuit Principi, id ipsi invito interverti nequit. Quin & auxiliorum nomine oblationes istas rectè peti posse à subditis ex necessitate vel rationabilibus causis supervenientibus, nec solum à secularibus, sed etiam à spiritualibus præpositis, per *c. VI. §. prohibemus. d. censib. cap. XVI. d. offic. ordin.* tradit Petr. Gregor. Tholos. *Syntag. Jur. Lib. III. cap. 6. n. 4.*

§. XV. Vti Principes à subditis, ita vicissim subditos à Principibus quondam Strenas percepisse apparet ex *L. XI. Cod. Theodos. de Palatin. Sacr. largit. & rer. privatar.* ubi Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theodosius AAA. in hunc modum Proculo C. S. L. rescribunt: *Olim statuimus, ut ultra definitas dignitates nullus nec Annonas nec*

STRE-

STRENAS perciperet. Sed quia plerosque de diversis Palatinis officiis, sub occasione indepti honoris, STRENAS & vestes, ceteraque solennia, ultra statutum numerum percepisse cognovimus, & id quod ex superfluo prabitum est exigi facias. & deinceps ultra statutas dignitates nihil praberi permittas. Quibus verbis ostenditur, Principes quondam Palatinis suis, secundum ordinis gradum strenas, solenniter sub auspiciis novi anni donasse, quas hic confirmant quidem Imp. ultra statutas autem dignitates & officia eas omnino prohibent extendi. Quam consuetudinem praterea egregie illustrat elegans Ammiani Marcellini locus Lib. XVI. quando, *Inductis*, scribit, *quadam Solennitate Agentibus in rebus in Consistorium, ut aurum acciperent, inter alios quidam ex eorum consortio, non, ut moris est, expansa chlamyde, sed utraque manu cavata suscepit: Et Imperator, Rapere, inquit, non accipere sciunt Agentes in rebus.* Ex quo ipso porro quid per *Puncti solatia* intelligit Anastasius in L. IV. C. d. *Advoc divers. judic. latissimè & eruditè explicat Jac. Gothofred. ad L. III. C. Th. de postuland. & ad d. l. XI. C. Theod. d. Palatin. sacr. larg.* ubi Imperator, *jubemus, inquit, ubi Viros Glarissimos fisci pro tempore patronos fori tue Celsitudinis solenni die festivitatis Kalendarum Januariarum ipsius tandem modo anni, per quem tale peragunt officium, inter spectabiles sacri Consistorii Comites, divina nostrae Serenitatis manu puncti consequi solatia.* Putat scilicet laudatus Gothofredus *Solatum* ibi sumi non pro integro salario, verum pro liberalitate & lucello quodam ex munificentia Principis Strenarum loco proficiscente: & *punctum* significare momentum illud & diem huic erogationi designatum: quomodo exerte in hanc rem Theodosius mandavit in Novella sua XXXI. *Quotannis, mense Januario, in sacro Consistorio,*

rio, significare nobis procures, ut unius cujusq, tam industriâ quàm desidiâ nostris auribus intimatâ, & strenui digna præmia consequantur, & in dissimulatores competens indignatio proferatur.

§. XVI. Nos porrò hûc referimus Constitutionem sacratissimi Principis ac Imperatoris Justiniani, quando is in L. XIV. §. 1. C. d. proxim. sacr. scrinior. jubet, ut Adjutoribus sacræ memoriæ & sacrarum epistolarum, qui liberam proficiscendi licentiam pronuntiatione commeatus indepti fuerunt, sine qualibet stipendiorum aut emolumentorum deductione peregre degere liceat, nec illi pro tempore Viris Clarissimis Proximis & mello proximis aut eorum adjutoribus, absentia causa offerre de suo proprio, aut ex annonis seu stipendiis quicquam relinquere cogendi sint, quamvis *Januar.*

Kalend. indultum excedat spatium, & intra se festum diem contineat. Nimirum indecoræ consuetudini, quâ illi, quibus licentia peregrè proficiscendi data erat, si in ipso Kalendarum Januarii termino non aderant, Strenas è Principis munificentia tunc accipi solitas aliis officialibus relinquere cogebantur, haud quaquam indulgeri vult Imperator, sed ut emolumenta ista illis absque ulla diminutione serventur, mandat, licet fortè sub Anni initium & eo die abfuerint, quo solatia ista erogari solebant ministris, prout hanc legem interpretatur Cujacius, *ad d. L. XIV.*

§. XVII. Atque ex hoc antiquissimo ritû, nec non Christianorum Imperatorum consuetudine, quâ statis temporibus certos panes, civiles dictos, tum populo, tum Palatinis & scholis militarium distribuere solebant, hodiernum usum illum in quibusdam Principum aulis superesse, probabile redditur, ut ministris aulicis & officialibus tempore Nativitatis Christi vel in Anni ingressu certi panes offe-

offerantur, qui dicuntur *Christwecken* oder *Neu-Jahrs-Semmlen* / consimiles illis oblationibus panum, quæ in Epiphaniâ Advocatis quondam fiebant, teste Charl du Fresnoe in *Glossario. verb. Panis natalitius*. Vid. D. Henricus Linck. d. *Panib. civilib. membr. III. n. 15.*

§. XVIII. Processit hæc Strenarum oblatio à Principibus ad alias quoque personas, tam publicas quam privatas, easque tum æquales tum inæquales. Passim enim apud Romanos quondam usu receptum erat, ut sub initium Anni alter alteri dona mitteret, qua de re ita Herodianus in *Commodo*: *Illo die potissimum Romani invicem se colunt salutantque, & numismata alter alteri missitant, & communicatione mutua pulcerrimarum quarumq; rerum, quas terra & mare ferunt, oblectant.* De fructibus sanè, si quid mittebant, illos oportuisse dulces esse, Rosinus *Lib. IV. Antiq. cap. 5.* memorat, videlicet, ut dulces Anni dies à dulcibus rebus initium fumerent: Inter quas erat *Cariota & Carica*, seu palmarum fructus, ad dulcia propterea relata in *L. fin. §. 1. d. tritic. vin. oleo leg.* de quâ ita Martialis *Xenior. Lib. XIII. Epigr. 27.*

- Aurea porrigitur Jani Cariota Calendis,
sed tamen hoc munus pauperis esse solet.

Cientes in primis Protectoribus suis & Patronis mellita ejusmodi dona Strenæ loco misisse, idem Martialis habet, *Lib. II. Epigram. 33.* quando scribit:

Hoc linirur sputo Jani Cariota Calendis,
Quam fert cum parvo sordidus asse cliens,

& Ovidius *Lib. I. Fastor.*

Quid vult palma sibi, rugosaque Carica, dixi,
Et data sub niveo candida mella cado?

Hunc autem morem etiamnum in multis Monasteriis, Collegiis, similibusq; locis superesse novimus, ut sub cujusvis Anni

E

ex or

exordium, Præfectis & officialibus Principum, quorum operâ & protectione utantur, munuscula quædam, & inter illa simul mellita quædam dona mittantur, quæ ab initio ex mera quidem liberalitate processerunt, postmodum verò facta sunt necessitatis: cuius unicum saltem nunc exemplum depromere licebit ex *Limneo d. Jur. publ. Tom. IV. Addit. ad Lib. V. cap. 7. n. 11.* ubi scribit: Daß der Abt von Eberach jährlich zum Neuen Jahr dem Ambt Mann zu Schwabach soll geben zween Creuz-Räse / einen guten Leckfuchen / zween Sporn / ein Schober Stroh / und der Ambt Männin einen Beutel.

§. XIX. Sed hic forsitan operæ pretium erit sciscitari: An Judici aut inferiori Magistratui à personis, quarum causas & lites tractat, licitum sit Strenas accipere? Affirmativa ex antecedentibus defendi posse videtur, quoniam Strenarum oblatio ab antiquissimis temporibus inducta, longoque usu à Principibus ipsis recepta fuit: qui autem facit ea quæ moris sunt, in nullo peccasse dicitur, *Barbosa Lib. III. cap. 59. Axiom. 12.* Quò facit, quod Divus Severus & Antoninus Proconsuli rescribunt *in L. VI. §. 3. d. offic. Procons.* ut, quantum ad Xenia, memor sit veteris proverbii: ἴτε πάντα, ἴτε πάντοτε, ἴτε πάνθ' ἀπάντων, id est, neque omnia, neque quovis tempore, neque ab omnibus: nam valde in humanum esse à nemine accipere; Sed passim vilissimum: Ἐ' omnia avarissimum. Verum enim verò, si exactius *d. L. VI.* pensitemus, patebit, Xeniorum nomine ibi non ea venire, quæ Proconsuli ut judici dantur, sed quæ ipsi ut hospiti provinciam ingredienti offeruntur, notante *Gothofr. ad d. l. n. 46.* quæ proinde motosè respuere prohibent *Inpp.* Cæterum cordatum judicem, ut judicem, omnia munera, sive Xeniorum, sive Strenarum nomine veniant, si ab illis proficiscantur

tur

tur, qui coram illo causas agunt, penitus recusare debere, ipsius Sacri Spiritus effatum admonet Exod. XXIII. 8. & Syrac. cap. XX. 31. *Munera excæcant oculos sapientum & pervertunt verba justorum.* Ob quod ipsum munerum acceptio severè prohibita legitur in lege divina, Exod. XII. 21. & Deuter. XXVII. 25. & in canonibus dicitur prævaricatio veritatis *can. LXVI. caus. II. qv. 3.* Quod adeò extendunt DD. ut ne quidem in causa justa quicquam sumere iudici permittant, quoniam res est mali exempli, licet vel maximè esculenta & poculenta sint, quæ ipsi offeruntur, cum in minimis quoque affectio lateat, & ex minimis, si permittuntur, facilis ad majora optanda & affectanda via sternatur, Vent. de Valentia in *Parthen. litigios. lib. II. cap. 10. n. 33.* Carpz. *Pr. Crim. part. II. qv. 93. n. 60. seqq.* Cui tamen sententiæ refragatur Jus Canonicum in *cap. XI. §. in super. de Rescript. in VI.* ubi jubetur, ut nullum munus vel quicquam aliud, nisi forsan esculentum vel poculentum, mera liberalitate oblatum, quod paucis consumi possit diebus, recipere à partibus quocunque modo præsumat iudex. Ut hinc iudicem ejusmodi munuscula rectè accipere, quando & quoties nulla seductio, sed amicitia, affectio simileque quid honesti intenditur, concludere non vereatur D. Joh Tesmar. *Vol. I. Dissert. VII. d. Xenis.*

§. XX. Illud tamen hic prætereundum non est, receptum esse in nonnullis judiciis & Curiiis, ut partes litigantes judiciorum ministris & subofficialibus, Secretariis, nempè, Scriniorum præpositis, Nuntiorum Magistris, *Boten-Meister* / Janitoribus, Pedellis & si qui sunt similes, nec non Advocatis & Procuratoribus, *Berichts-Anwälden* / Strenarum nomine quotannis quid largiantur; id quod istis personis equidem haud prohibitum est acceptare, quoniam in Salarii partem pro labore, quem in expedi-

endis partium negotiis adhibent, venit: nec enim tantus in illis metus corruptionis subest, aut prævaricandi occasio ac in iudicibus ipsis. Sed illud ex hoc dubium oritur, num in casu, quo victus victori ad expensas judiciales refundendas condemnatur, ejusmodi munera ad calculum cum aliis sumptibus admittantur, & is, qui in lite succubuit, ad illorum restitutionem teneatur? Equidem in designatione expensarum, arrhas aliaque, qua ex liberalitate proferunt clientum, non admitti, decidit Gailius *Lib. 1. Obs. 151. n. 7.* ex eo, quod voluntariorum sumtuū & ejo quod munificentius expensum fuit, in taxatione non habeatur ratio, ut colligitur ex *L. XIII. §. 2. C. d. judic.* ibi: *Sed etiam in omnes expensas, qua consueto modo circa lites impenduntur. & in verb. Expensas tantummodo lites quas reus legitime se expendisse juraverit.* Quod & confirmat *can. III. de eo qui mittit. in poss. verb: Ad restitutionem cogatur expensarum illarum, quas Abbatem constiterit propter hoc necessarias in lite fecisse.* Adeoque dona ejusmodi Kalendarum Januarii, *Neu-Jahrs Verehrungen*/ad liquidationem & Processum expensarum non pertinere, tradit Suttinger *Obs. CXXXIII. n. 7.* In Curia tamen Romana, hæc non ita exactè observari, sed admitti etiam ad taxam ea, qua annuatim in festis natalitiis data sunt Advocatis & procuratoribus, cum ibi sit consuetum in omni curia, dicto anni tempore, labores advocatorum aliquo munere compensare, quò diligentius causarum patrocinio incumbant, ex Lanfranc. *Zachia d. salario. decis. XLIII. n. 12.* observat Henric. Temmen. *Tr. d. Lictium Expens. cap. X. n. 26.* Atque hinc Arbitrium Judicis non esse adeò restrictum, quin in simili casu, etiam Strenarum

ex.

ex necessitate loci & consuetudinis solutarum, in taxandis
expensis rationem habere queat, putamus.

§. XXI. Hæc de personis publicis inque publicis offi-
ciis constitutis : nunc paucis etiam de privatis dispiciamus.
Et facile quidem inter has Strenarum usum tolerari posse,
modo Superstitio nulla concurrat, nec ipsa dona justam libe-
ralitatis excedant mensuram, ex his, quæ jam antè dicta sunt,
patescit. Requiritur tamen insuper in personis donantibus, tum
plenam disponendi de re sua facultatem, tum etiam Legum
approbationem, principiis Juris nostri quam maxime est
conveniens. Hinc cum pupillo omnis patrimonii sui ad-
ministratio penitus interdicta sit, *pr. l. d. auct. Tut. l. v. pr. eod.*
ipsum Strenas erogare non posse, liquidò constat. Idem
de Tutore pupilli judiciū ferri posse videtur, ex eo, quod fa-
cultates pupillares conservare, non autem dissipare, teneatur;
unde ne donationes ab illo factas pupillo noceant, expresse
cautum est, *in l. xxii. d. adm. tut. l. xlvi. in fin. eod.* licet
fuerint mortis causa, *l. i. §. i. d. tut. & rat. distr.* imò speci-
aliter ipsi interdicitur, ne nuptiale munus matri pupilli vel
forori mittat, *l. xiii. §. i. d. admin. tut.* quod si verò munus
nuptiale matri pupilli miserit, non eum pupillo imputatu-
rum, Labeo scripsit, *l. i. §. 5. d. tut. & rat. distrab.* Hòc ta-
men non obstante, solennia munera parentibus & cogna-
tis mittere, permiffum legitur tutoribus *in l. xii. §. i. d. adm.*
tut. id quod ex Varrone, Festo & Servio, de illis muneribus,
quæ ex more recepto cognati invicem natali cujusque die
missitabant, interpretatur Gothofr. *ad d. l. n. 75.* atque opti-
mo hinc jure extenditur etiam ad Strenas, quas Kalendis
Januarii quondam invicem offerebant Romani: nec enim

E3,

per

per huiusmodi donationem detrimentum aliquod metuere habuit pupillus, cum ejus liberalitas aliâ mox compensata fuerit liberalitate; Atque hac ratione, si consuetudo loci ferat, ut in Anni introitu cognati semet invicem, larga Xeniorum oblatione excipere debeant, maximè si personæ sint illustres, Tutorem hodiernum æque Strenæ largitionem pupilli nomine facere posse, non dubitamus, maximè cum donatio aliâs tutoribus personarum illustrium, aut etiam minus illustrium, quoties utilitas pupilli id suadet, nec patrimonii diminutio inde sequitur, haud sit prohibita, Gail. *L. II. Obs. 72. n. 8. Carpz. part. II. Const. II. def. 48.*

§. XXII. Quantum ad Conjuges, omnem inter hos donationem jure Civili interdictam esse, constat ex *L. I. II. III. & multis seqq. d. Donat. int. vir. & ux.* idque hanc ob causam, ne amor esset venalis, seu ne occasio detur, ut amor conjugalis donis sit conservandus, aut altero non donante discordia inter Conjuges oriretur, Illustris D. Struv. *Synt. Jur. Civ. Ex. XXX. tb. 23.* Concessam tamen ipsis hodie esse Strenarum donationem, praxis nostrorum temporum recepit, de qua testatur Carpz. *part. II. Const. 13. def. 20. D. Struv. d. Ex. tb. 28.* præsertim cum & quælibet donatio honoris causâ inter conjuges valeat, *L. XL. & XLII. d. Don. int. V. & Ux. Hart. Pistor. Lib. I. qv. 44. n. 12. Add. Berlich. part. II. Concl. 15.* Sed hanc doctrinam ad parvam quantitatem, ne aliâs præjudicium fiat legi, restringit Speidel. *Speculo Jurid. Polit. in Addit. verb. Neu Jahr.*

§. XXIII. Idem, quod inter Conjuges, etiam in Parentibus eorumque filiis obtinet. Licet enim donationes filio à Patre factæ regulariter non subsistant, *L. XXV. C. d. donat*

de rat. int. Vir. & Ux. L. XI. C. d. donat. quia nimirum Donatio talis ad peculium filii profectitium pertinet, & sic patri acquireretur: filius enim quicquid acquirit, patri acquirit *L. I. si à parent. quis manum. §. II. J. per quas pers. nob. acqu.* nemo autem sibi ipsi donare potest *L. LVI. §. 1. d. fidejuss.* nam differentia inter dantem & accipientem esse debet, quia sibi ipsi nemo obligatur, prout deducit Gail. *Lib. II. Obs. 38. n. 2. 3.* Id tamen, quod Strenæ nomine liberis datur, firmum esse ac irrevocabile, defendit Richter. *Semicent. quest. 20. XLV.*

§. XXIV. Deducimur demum ad Strenas, quæ Kalendis Januarii à Patrinis dari consueverunt his, quos è sacro lavacro susceperunt. Origo hujus consuetudinis quidem à pietate & innoxia liberalitate Patrinorum primitus orta videtur: sed progressu temporis in multis Germaniæ locis in abusum degeneravit intolerabilem, dum suscepti, die *Pathen* vulgò dicti, liberalitatem Susceptorum non expectare, sed indecenti planè ausu postulare, & velut agmine facto quotannis extorquere, atque sic sumtus non leves ipsis Susceptoribus creare cœperunt, quod vocarunt, *das Neue Jahr holen*. Quem molestum valdè morem abrogare, consultum duxere haud pauci Germaniæ Principes, ac inter hos gloriosissimæ memoriæ Elector Saxonie Johannes Georgius I. *in Ordinat. Polit. d. An. MDCXII. §. 22.* ita edicens: *Endlich haben auch die Städte vor eine sonderbahre Beschwerung angezogen / daß die Kinder / welche die Bürger aus der Tauffe gehoben beydes aus der gemeinen Bürgerschaft in Städten / so wohl auff den Dörffern / jährlichen auff das Neue Jahr und grünen Donnerstag / zu den Tauf = Paten gebracht werden / da man sie dann mit etwas sonderliches zum Neuen Jahr und grünen Donnerstage verehren müßte / und solches die Eltern der Kinder viel Jahr nacheinander*

der.

der continuirten / daß manchen Hausvater offemahls auf einen Neuen Jahrestag / bis in die zehen / zwanzig / dreysig und mehr Gülden auffgehe / und dann den grünen Donnerstag nicht viel weniger / daher unterthänigst gebeten / diesen Abgang und Mißbrauch durch ein allgemein Mandat gänzlich abzuschaffen. Wann den gleichwohl dieses das Jahr über etwas austrägt / und eine grose Beschwerde / und doch den Kindern / unter welche es einzeln an Poppenberg und andern unnöthigen Sachen aufgetheilet wird / keine Hülffe : Als haben wir diesem der Städte Suchen statt gegeben. Befehlen demnach allen und jeden unsern Unterthanen in Städten und Dörfern / daß Sie hinführo keiner seine Kinder mehr den Tauffpaten zu Abhohlung des Neuen Jahrs oder grünen Donnerstags zuschicken / sondern sich dessen gänzlich enthalten / und im wiedrigen Fall von jedem Kinde fünf Thaler / der Tauffpate aber / so diese unsere Verordnung hintansetzet / und den Paten das Neue Jahr oder grünen Donnerstag austheilen lässet / zehen Thaler von jedem seinen Paten zur Straffe ohne einige Nachlassung zuerschuldigen soll. Quod edictum renovavit postea aeternæ recordationis Elect. Johannes Georgius II. in Ord. Polit. de Anno 1661. Tit. XVII. §. 5. his verbis: Ferner aber den Paten in geringsten kein Zeil. Christ / Neu Jahr Grünen Donnerstag oder / wie es sonst Nahmen haben mag an Kleidung / Gelde / Geschmeide oder andern Sachen gegeben werden.

§. XXV. Non minori curâ ac prudentiâ Serenissimus Elector Saxo hac in re etiam prospexit heris & Patribus familias, & ne servi aut ancillæ, supra solitam ac consuetâ mercedē aliquid Strenæ nomine zum Neuen Jahr exigant nec quicquā illis donetur aut promittatur, prohibuit in Ordinatione des Marggraffthums Niederlausitz Tit. VI. §. 4. hisce verbis: Ferner soll auch keiner Herrschafft verstatet seyn.

sei.

einem Gesinde über ihr ordentlich Lohn / Jahrmärkte
Neues-Jahr Geschenke &c. oben einzugeben / oder zuvers
sprechen / weniger hernachmahls zu reichen und zu gelten /
bey zwey thaler Straffe / dem Gesinde aber / so solches dem
Herrn zumuehet / und wegen bedürffenden dienstes zuvers
heischen und zugeben abgedrungen / bey Verlust des hal
ben ordentlichen dienst^s Lohns. Idem in dicta Ordinatione
Polit. repetit Joh. Georg. II. T. XXIII. C. 1. §. 6. his verbis:
Darunter denn billig zu sehen / daß an etlichen Orten den
Knechten und Mägden Jahrmärkte / Christ^s und Neues
Jahr Geschenke oder andere Verehrungen über den gesatz
ten Lohn / so bisweilen ebenso hoch kömmt / bishero zur
Ungebühr mit eingedinget / und fast abgezwungen wor
den. Wie Wir nun solches und anders / wodurch sonst
Unserer hierbey habenden intention zuwieder geschehen könn
te / gleichgestalt gänzlich auffheben : Also soll Herr
Frau / Knechte oder Mägde / so dergleichen Begünstia
gungen unter einander verüben / mit der Hälfte der vora
gesetzten Straffe als fünf Thaler / von Gerichten belea
get / und dem Dienstbohten sein ordentliches halbes Lohn
neben dem Geschenke / weggenommen werden / Jedoch
wofern ein und ander Herr oder Frau einem Dienstbohten /
so Ihm oder Ihr vor andern lang und treulich gedienet /
aus freyen Willen / ein leidliches zum Heil. Christ und zu
veranlassung fernerer fleisigen Dienste verehren wolte /
solches bleibet ihnen ungewehret / die Neuen^s Jahr und
Jahrmärkte aber wollen Wir disfalls gänzlich abgestel
let wissen. Quæ Constitutiones dignæ sunt, ut ibique lo
corum non promulgentur solum, sed & serventur san
ctè.

§. XXVI. Hæc de Strenis sufficient. Attigimus
supra cap. III. quædam de Romanorum gentili supersti
tione Kalendis Januarii receptâ : ad quam etiam perti
net

net, quod quilibet eo die cum altero æmulatione quadam certare, eumque in arte sua superare fuerit solitus, quo melius per totum annum procederet opus. Id quod Jani testantur verba apud Ovidium *Lib. I. Fastor.*

Tempora commisi nascentia rebus agendis,
Totus ab auspicio ne foret annus iners.
Quisque suas artes ob idem delibat agendo,
Nec plus quam solitum testificatur opus.

Reliquias vanæ hujus ac ethnicæ observationis apud Christianos nonnullos nostri seculi deprehendere licet, qui ex casibus & actis illius diei, de totius anni eventu divina-re consueverunt: veluti ex primo hominis in platea occur-fu, aut ex coctione panis vel placentarum benè an fecus ex fûrno prodeuntium, & si quæ sunt his similia: quos graviter proindè increpat Burchard *in Pœnitent. Lib. XIX. cap. de arte mag. citatus à Mart. del Rio Disquis. mag. Lib. III. part. 2. qv. IV. sect. 5.* his verbis: *Observasti Kalend. Ja-nuarii ritu paganorum, ut vel aliquid plus faceres propter novum annum, quam antea, vel post soleres facere: Ita di-co ut vel mensam tuam cum lapidibus (aut lautitiis) vel epulis in domo tua preparares eo tempore, vel si panes prædicta nocte coquere fecisti tuo nomine, aut per vicus & plateas can-tores & choros duceres, aut circa tectum domus tua sede-res ense tuo circumsignatus, ut ibi videres & intelligeres quid tibi in sequenti anno futurum esset, vel in bivio sedisti super taurinam, ut & ibi futura tibi intelligeres vel si panes prædicta nocte coquere fecisti tuo nomine, ut si benè levarentur, & spissi & alti fierent, inde prosperitatem vi-tæ tuæ eo anno provideres: ideo quia Deum Creatorem tuum dereliquisti, & ad idola & illa vana te convertisti, & apo-stata*

Stata effectus es, duos annos per legitimas ferias poeniteas.
 Idem inculcat Zacharias Papa in Epistola ad Bonifacium,
 quam exhibet Barthol. Caranza in *Summa Concilior.* pag. 109.
 ita scribens : *De Kalendis Januariis vel ceteris auguriis,*
vel aliis diversis observationibus, qua gentili more observari
dixisti apud beatum Petrum Apostolum, vel in urbe Roma, hoc à
nobis & omnibus Christianis detestabile & perniciosum esse ju-
dicamus, dicente Deo : Non augurabimini neq; observabitis
somnia. Ità & nobis cavendum esse censemus, ut nullis au-
guriis vel observationibus attendamus, quia omnia hæc abscis-
sa esse à Patribus sumus edocti. Add. Tholosan. *Syntag. Jur.*
univ. Lib. XXXIII. cap. 3. n. 24. & quæ contra has Kalen-
 darum impietates & superstitiones scripsere Tertullianus
lib. d. Idololatr. cap. XIV. Isidorus *Lib. I. d. Eccl. offic. Cap.*
XL. Alcuinus *Lib. d. Divin. offic. cap. IV.* Cyprianus in
Vita S. Cesarii Arelat. sub fin. Nec proindè dubitandum est,
 quin, si tale quippiam etiamnum contingat, vanique Ka-
 lendarum observatores inter Christianos inveniantur, dignâ
 eosdem censurâ ecclesiasticâ in ordinem redigere atque sic
 alios à simili vesania liceat deterrere.

§. XXVII. Ultimum quod circa Januarij Kalendas
 notamus, est Magistratum Creatio, seu processu novorum
 Consulium in Romana Republica quondam observatus.
 Hunc enim anni terminum incundo Consulatu dedicatum
 fuisse, ut ita cum Anno novo simul & Magistratus novus in-
 choaretur, testis est Rosin. *Lib. III. Antiq. cap. 5.* alique Ro-
 manæ historiæ scriptores. Idem in pluribus Germaniæ ci-
 vitatibus Imperialibus obtinere, experientia comprobat,
 idque de Argentoratensium Republica testatur Limn. *de Jur.*
publ. jam supra cap. II. citatus. Hoc ipsum in celebri Cat-

torum Academia Giessensi circa fascas Rectorales capessendos statuto cautum esse, scribit Dn. Mollenbecius *Diff. d. Primis Calendis. tb. XIV.* Idem etiam in florentissima hac nostrâ Universitate receptum esse, ut non quidem in ipsis Kalendis Januarii, sed paulo post, in Epiphaniæ nim: Festo, vulgò *auf den großen Neuen Jahrs Tag/* novus Academia Rector in sequens semestre solenni electione constitutur, annua praxis demonstrat.

§. XXVIII. Sed & aliis quibusdam actibus subinde hunc Kalendarum Januarij terminum assignare visum est Imperatorib9 Romanis. Fiscalibus namque tributis inferendis eundem tempore Anastasii præstitutum fuisse, liquet ex *L. fin. §. fin. C. d. Annon. & tribut. Lib. X. 16.* ubi ita Imperator: *Τετραεὺς δὲ πάντα τὰ δημόσια εἰσφέρειτω τὰ τε ἄλλα καὶ τὰ λεγόμενα Ἀρμενιακά. τετῆσι καλάνδαις Ιανουαρίαις καὶ καλάνδαις Μαΐαις, καὶ πρὸς τὰ τέλει τῆς ἐπινεμήσεως. Tripartito autem omnia fiscalia inferantur, ea etiam quæ Armeniaca vocant, videlicet Kalendis Januariis & Kalendis Majis, & ad finem indictionis.* Aliud exemplum occurrit in *L. II. C. d. Annon. civil. L. XI. 24.* ubi Imppp. Theodosius, Arcadius & Honorius, Canonem frumentarium centum viginti quinque modis frumenti adauctum, *ex die Kalendarum Januarii sextæ tunc indictionis, per singulos dies nomine parapeteumatis, de horreis publicis almæ urbis Constantinopolis* tribui iusserunt.

§. XXIX. Simile quippiam nostro quoque ævo factum atque in rebus maximi momenti Kalendas Januarias pro termino fixo ac immobili assumptas fuisse, ignotum haud esse potest illis, qui anteriorum temporum acta perlustrat.

Instrarunt. Ex notissimis imprimis pacis Westphalicæ Anno MDC XLVIII. à potentissimis totius Europæ Majestati-
bus conclusæ tabulis patet, quod postquam diu multum-
que inter Evangelicos & Catholicos Status de restituendis
bonis ecclesiasticis disceptatum esset & pugnatum, optimâ
tandem ratione hoc temperamentum placuerit, ut quam-
quisque possessionem illorum bonorum primo Januarii die
Anni MDCXXIV. tenuisset, eâdem in posterum quiete ac
securè usque dum de religione fuerit conventum, gau-
dere & frui deberet. Ita enim verba Instrumenti Pacis
Cæsareo-Suecici habent *Art. V. §. 3.* *Bona ecclesiastica im-*
mediata quod attinet, sive sint Archi-Episcopatus, Episcopa-
tus, Prelatura, Abbatia, Balivia, Præpositura, Commenda,
sive liberae fundationes seculares, aut alia, unâ cum redi-
tibus, pensionibus, aliisque quocunq; nomine signatis, seu in
urbibus, seu ruri sitis, ea seu catholici, seu Augustana Confes-
sionis status die primo Januarij, Anni millesimi, sexcentissimi
vicesimi quarti possederint, omnia & singula nullo planè exce-
pto, ejus religionis consortes, qui dicto tempore in reali eo-
rum possessione fuerunt, usque dum de religionis dissidiis per
Dei gratiam conventum fuerit, tranquille & imperturbatè
possideant, neutrique parti liceat alteri seu in judicio, seu
extra, negotium facessere, multò minus turbas aut impedi-
mentum aliquod inferre. Si verò, quod Deus probibeat, de
Religionis dissidiis amicabiliter conveniri non possit, nihilomi-
nus hæc conventio perpetua sit & Pax semper duratura.
A quâ tamen regula, Serenissimus Brandenburgicus
Electoꝝ causas Ecclesiasticas in Ducatu Juliacensi, ob pecu-
liare jam ante prædictam pacificationem initum pactum,
rectissimè exceptit, prout allegat & copiosius exponit Bur.

goldens. Part. I. Discurs. XXXI. ad Instrument. Pac.
§. 4.

§. XXX. Idem remedium emendationi monetæ in bellicis quondam tumultibus enormiter depravatæ adhibuit immortalis nominis Princeps ac potentissimus Saxonix Elector Joh. Georgius I. quando in Constitutione das Equilibrium betreffend. de Anno MDC. LVI. §. und so viel erstlich. mandavit, ut solutio pretii ex quocunque contractu debiti, secundum valorem fiat pecuniæ, qui fuit tempore contractus: ceterum pro agnoscenda moneta iusto leviori Kalendæ attendantur Januarii, Anni MDC. XIX. usque ad diem XIII. Julii Anni MDC. XXIII. ita ut quæ intra hos terminos hominum commerciis inservit moneta pro viliori reputetur, ac correctioni subjaceat, ita enim verba sonant: Damit auch hierunter aller Streitigkeit / so aus dem zweiffelhafftigen Münzwertth einer oder der andern Zeit entstehen könnte / der Weg abgeschnitten werde / wollen wir diese unsre Verordnung allein von derjenigen leichten Münze / so Anno 1619 von 1 Januarii 1620. 1621. 1622. biß auf den 13 Julii Anno 1623. üblich gewesen / als deren Abgang damals augenscheinlich verspühret werden können / verstanden haben.

§. XXXI. Coronidis loco addere operæ erit pretium, quod Equitibus aurei velleris, den Rittern des güldenen Flusses / à Philippo Bono, Duce Burgundiæ institutis, injunctum legitur: nimirum, non licere illis catenam, quæ ipsis in solenni Inauguratione unà cum insigni ordinis datur, collo portare, præterquam in Festo Kalendarum Ianuarij, aufs Neue Jahr / reliquisque festis majoribus, ut & in dies

es S. Andreae, qui praedicti Ordinis Patronus habetur, Vid. Limneus *de Jur. Publ. Lib. VI. cap. II. n. 25. in artic. 3.* Caeterum Festiva relatio de occasione & ortu hujus ordinis, videatur, si lubet, atque apud Jacob. Tollium *in sapientia insani ente pag. 48.*

T A N T V M.

ADDENDA

ad Capit. III. s. VI.

Festum illud *Stultorum*, cum sub exitum mensis Decembris initium sumeret, *Libertatem Decembriam* appellatum fuisse, memorat du Fresne, *in Glossario. voce Kalenda.* illudque verbis Beleti *Lib. d. divin. offic. cap. CXX.* ita describit: *Sunt nonnullae Ecclesiae, in quibus usitatum est, ut vel etiam Episcopi & Archi Episcopi in caenobiis cum suis ludant subditis, ita ut etiam sese ad lusum pile demittant. Atque haec quidem libertas ideò dicta est Decembrica, quod olim apud Ethnicos moris fuerit, ut hoc mense servi & ancillae, & pastores velut quadam libertate donarentur, fierentque cum dominis suis pari conditione, communia festa agentes post collectionem messium: quanquam verò magna Ecclesia, ut est Remensis, hanc ludendi consuetudinem observent, videtur tamen laudabilius esse non ludere. Abolitè autè fuisse hoc Festum in Francia anno MCCXII. per Concilium Parisiense, notat jam laudatus Auctor, ejusque prohibitionis haec adducit verba: *A festis verò follorum, ubi baculus accipitur, omnino abstinenceatur. ubi per baculum, episc-**


sco-

*scopalem innui, scribit : præterea ex Concilio Cepriniacensi
an. MCC LX. sequentia, quæ eandem concernunt rem an-
notat : Rursus cum in balleatione, quæ in festo SS. Inno-
centium in quibusdam Ecclesiis fieri inolevit, multa rixæ, conten-
tiones & turbationes, tam in divinis officiis, quàm illis consue-
verunt provenire, prædictas balleationes ulterius sub
intimatione anathematis fieri pro-
hibemus.*

Ad Nobilissimum Dominum
RESPONDENTEM
præsentis Disputationis Auctorem.

Nil sub Sole *Novi. Nova* non sunt tempora
Tempus
Quod modo decurrit, sponte recurrit idem.
TV tamen ecce *novi* dum *non nova* jura re-
volvis
Temporis, antiquum nunc facies arte *no-
vum.*





AB 152989

ULB Halle 3
002 420 562




Sb.

1078
1017







B.I.G.

Farbkarte #13

25

ALTISSIMI

IUSTVM EST

CA

ANNVM

leuen Jahres/

O IVRIDICA

27

AM

ADEMIA JENENSI

SIDE

O WILDVOGEL

FRATRVM DVCVM SAXO-
ILICO, PANDECTARUM PROFES-
VRIE PROVINCIALIS, NECNON
TATIS ET SCABI-
SESSORE

CIVM ANNI

XCI.

ndam proponit

Respondens

AS CRAUSER.

DOLPHI MÜLLERI.

